

018

016

022

012

027

007

067

117

Ende

Anfang

3

signavi. Inter haec nonnumquam de locis sanctis etiam, in quibus non fui, exactam diligentiam feci, ut earum dispositionem conscriberem, sed non nisi illo addito: ibi non fui, sed auditu aut lectione didici.

De extremis mundi finibus, etsi mentionem faciam, non tamen describam. Si quis autem legere cupit de his, legat Narratorum Fratris Odorici, Ordinis minoris, qui Orientem pervagatus mira sub testimonio jurandi dicit se vidisse. Legat et Diodori antiquas historias. Perscrutetur etiam et videat novas mundi mappas, et inveniet regiones Orientis adeo longe a nobis distantes, quod secundum modernos Geometras et Mathematicos ibi habitantes sunt respectu nostri Antipodes, quod tamen antiqui, ut Aristoteles, et Ptolomaeus, et Augustinus invenire non poterant. Hodie tamen in humanis sunt homines fide digni, qui in insula Zinpanga, illius regionis parte, dicunt se fuisse, et alios polos et stellas affirmant se vidisse, et silvas piperis, et nemora caryophyllorum, et hortos spicanardi, et campos Zinziberis, et agros Cinamomi, et regiones lignorum Sethim, et virgulta aromatum diversorum, et caetera multa asserunt se vidisse oculis, et manibus contrectasse. Illi legantur et interrogentur, et curiosis satisfacient.

De terra sancta, in qua noster polus cernitur, quae solo mediterraneo mari a nostris terris secernitur, locutio mea est, de qua et scripsi. Insuper conscripsi diligenter pericula, quae in mari magno in utraque peregrinatione sustinui, et angustias, quas per desertum perpassus sum, et tribulationes diversas, quibus affectus fui una cum aliis sociis meis peregrinis inter Turcos, Sarracenos, Arabes, et falsos orientales christianos, ut vestrae Charitati magis placere incipiat monastica quies, claustris stabilitas, regularis disciplina et obedientiae labor, discursus et evagatio vilescat.

Testis enim mihi Deus est, quod si scivissem, me ex hac peregrinatione ad tantam evagationem mentis et corporis implicandum fuisse, nequaquam eam, quantumcunque sanctam, aggressus fuisse, (2A) quia, proh dolor, nimis a studio utiliori alienatus et distractus factus sum. Idecirco decrevi, hunc librum non Peregrinatorium, nec Itinerarium, nec Viagium, nec alio quovis nomine intitulare, sed EVAGATORIUM

1\*